

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Iesvs Christvs Filivs Dei**

Commentatio Theologica Qva Sacra Natalitia Iesv Christi Pie Celebranda  
Indicit Academia Ienensis

**Officina Fickelscherriana Officina Fickelscherriana**

**Ienae, 1777**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9692**

45<sup>o</sup> 6


IESVS CHRISTVS FILIVS DEI  
 COMMENTATIO ALTERA  
 QVA  
 SACRA NATALITIA  
 IESV CHRISTI  
 PLE CELEBRANDA  
 INDICIT  
 ACADEMIA IENENSIS.

*[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*



IENAE  
 EX OFFICINA FICKELSCHERRIA  
 clp l cclxxvii.





DEI GRATIA  
CAROLVS AVGVSTVS

DVX SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MONTIVM,  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE, LANDGRAVIVS  
THVRINGIAE, MARCHIO MISNIAE, COMES PRIN-  
CIPIS DIGNITATE HENNEBERGAE, COMES MAR-  
CAE ET RAVENSBERGAE, DYNASTA RAVEN-  
STEINII, REL.

RECTOR ACADEMIAE IENENSIS  
MAGNIFICENTISSIMVS

S. D.

CIVIBVS



Quam superiore programme ostendimus nomini *fili*  
*Dei* subiectam olim fuisse potestatem inunus at-  
que dignitatem *Messiae* designandi, eam in ista  
appellatione, cum res adeo clara sit, viros doctos  
iam dudum obseruasse, facile quisque suspicetur.  
En igitur eorum, quotquot cognoscere ex hoc  
genere nobis quidem licuit, breuem contextum  
indicem. Agmen ducat, qui vel in polemicis eo nomine male au-  
dire solebat, HERRM. ALEX. ROELLEVS, quo cum agitas super hoc  
capite controuersias late recensuit b. I. G. WALCHIVS (in *Certamm.*  
*de religione, quae extra Eccles. Luther. contigerunt*, Part. III. p. 866.  
ffq.). Huic adiungendi proxime sunt HVG. GROTIVS ad *Matth.*  
XIV, 33., et alibi saepius in annotationibus ad N. T., SIM. EPISCO-  
PIVS ad *Matth.* l. c. Opp. T. I. p. 89. a., et ad eiusdem cap. XVI, 16.  
p. 96. a., nec non p. 133. b., T. II. p. 335. 338., PHIL. A LIM-  
BORCH

BORCH in *Theol. Christian.* L. V. C. IX. §. VII., IOH. LOCKE in *Rationabil. Christianismi* Cap. IV-VI. (vers. francogall. p. 31. sqq.).  
 GEO. BENSON ad I *Ioh.* V, 5. in *paraphr. et nott. ad epistolas apostolicas*, vers. teuton. Tom. IV. p. 188. sq. et passim alibi in eodem opere. Sed hi exteri erant et paullo antiquiores. Propius ad nos spectant, qui recentius in eandem descenderunt sententiam, primus quidem, quod sciamus, I. D. MICHAELIS, vir ill. in *lectione critica trium de Christo Psalmorum* p. 541. et in *Paraphr. ac nott. ad epistol. ad Hebr.* cap. I, 4. p. 103. sq., quique post hunc, idem sibi videri, professi sunt, I. D. HEILMANNVS in *prolus. notissima ad Rom.* I, 4. (in *Opusculis*, Ienae recufis, Tom. II. nr. XXII.), G. T. ZACHARIAE, *Theol. bibl.* Part. I. p. 488. sq., ven. I. A. SCHLEGEL in *histor. harmonica passionis Christi*, part. 2. not. 25., et reu. C. G. LANGIVS in *Tentamm. exeget.* Fascie. IV. p. 710. sqq. Horum autem plerique cum eam illius nominis notionem quasi in transeursu tantum tetigere, vnus Heilmannus fere integra illa, quam allegauimus, serip-tione de ea fufius agere instituit, eamque ad nonnulla etiam Scri-pturae carmina conferendam censuit, ex quibus nostri Theologi diuinam Seruatoris naturam vel maxime demonstrare consueuerant. Quae publice proposita opinio quantas auctori suo iras concitauerit, quantamque manibus eius piis inuidiam conflauerit, dici vix potest. Vid. inprimis de his referentes *ephemerides literarias Goettingenses* an. 1764. scid. 62. Scriptorum vero omnium, quae ad confutandum programma istud Heilmannianum in medium prodire, memoratu digna et ob liberalem, quam prae se fert, ingenuamque faciem commendabilis saltem vnica est FRID. HERM. ROMERSHAVSENI, (qui post alia etiam eruditionis specimina edita iuuenis satis sanctus est), in academia Marburgensi a 1768. praefide ven. C. GV. ROBERTO defensa, *dissert. exeget. de nomine τὸς Θεῶν, non regium Christi minus, sed praestantiorum eius naturam indicante.* Ad nos quod attinet quidem, quae bene dicta ab Heilmanno putaremus, ea omnia nostris iam intertexuimus in priore de hoc argumento commentatione; sed ad plura, quam par erat, Scripturarum oracula eum traxisse istum nominis *filius Dei* intellectum, non dubitamus. Itaque argumentis quibusdam verioris nobis visae sententiae, in his ipsis oraculis obuiis, non adeo deesse debebimus, vt ne,



4  
quae ad horum interpretationem, fauentem meliori caussae, infringendam, commendandamque aliam, minus accururate, nostro iudicio, ille dixerat, verecunde animaduertamus, ab iisque demonstrationis nostrae rationem defendamus.

Quia autem prior, quam institueramus, de hoc Domini nostri titulo disputatio in hac desuit obseruatione: proflare quaedam Iesu oracula, quibus vere insit huius tituli sublimior, ad ipsam naturae eius diuinitatem summam spectans, notio, quam illius quidem tempestatis auditores nequaquam affectu sint, nos iam recte percipere valeamus; iam ostendere ante alia debemus, quam Iesus causam habuerit ita differendi, cum prima tamen cuiusque sermonis lex haec merito sit, vt non dicamus aliter, quam apte ad eorum, qui nos audiunt, intelligentiam. Fuit igitur illi, si nostra valet coniectura, scopus haec infinitae suae virtutis indicia, tum minus quidem luculenta, suis verbis interserendi eiusmodi, vt Apostoli aliquando, cum hanc veri partem plenius a Spiritu S. edocti fuerint, eorum *méminerint* (*Ioh. XIV, 26.*), indeque colligerent, ipsum Dominum de se nihil statuisse exilius, quam de eo nunc traditum sibi diuini numinis afflatu tenerent. Magni enim iis profecto videri debebat haec inter priorem, qua vsi erant, et posteriorem istam, qua nunc vterentur, institutionem conspiratio, qua vtriusque ipsis veritas non posset non mirifice confirmari. Neque vero de hoc unico genere videmus Christum suis verbis immiscuisse quaedam ad vsus cultorum suorum iam non praesentes, sed futuros; immo plura eiusdem, ab eo vsurpatae, sapientiae exempla prostant. Vt quando, *se vitam positurum esse* *ἄνθρωπων* hominum loco, *Matth. XX, 28.*, sanguinem suum effusurum ad comparandam iis peccatorum veniam, cap. XXVI, 28. professus est, et, qui sortem beatam futurae vitae consequi vellent, hos iussit *carnem suam edere, suumque sanguinem bibere*, *Ioh. VI, 51. 53-56.*, nos hodie sine opera illa priora de reconciliatione hominum cum Deo; morte Christi perfecta, hoc posterius de fide, quae dicitur, in ipsum saluifica, eodem eius supplicio nitente, recte intelligimus, eos, qui adessent haec dicenti, sic mox, vel paullo post intellexisse, tanto est improbabilius, quanto ex aliis locis certius, et popularem Iudaeorum opinionem fuisse,

fuisse, Messiam non mori, *Ioh. XII, 34.*, et in eadem discipulos quoque Iesu ad reditum vsque eius a mortuis perseverasse, *Luc. XXIV, 25. 26.*; fecit autem collustratio vberior, quae a die pentecostes inde iis obligit, vt abhinc veros illorum effatorum sensus perspicerent, quos suis verbis aliis, varie delectis, deinceps latius et ore, et scriptis, ad nostram aetatem transmissis, explicuerunt.

Ad id igitur vt veniamus, quod hac commentatione nobis maxime agendum est, ponimus hanc sententiam: „elogii *filii Dei*, in „Christum a sacris scriptoribus collati, hanc esse *praecipuam vim*, vt „infinitam eius naturam, interno diuinitatis actu a Patre cum *τῷ „Λόγῳ* communicatam, designet. Non quod velimus, diuinitatem Iesu Christi ex hoc eius nomine posse alicui, qui de illa adhuc dubitauerat, vel plane eam negat, ad certitudinem demonstrari; id enim, si quid sentimus, vix feliciter praestari possit. Sed res nobis cum iis est, qui, aliis argumentis iamiam persuasum sibi infinitum illud naturae seruatoris nostri fastigium habent, ad quod idem hanc etiam Domini appellationem spectare, istis demonstrare conabimur. Ordinem vero tractationis seruabimus hunc, vt *primum* nouarum tabularum locos, qui hanc in rem facile classici sunt, proferamus et iusta interpretatione, quoad consilium nostrum postulat, commentemur, *deinde*, quibusuis etiam aliis Apostolorum oraculis, diuinitus inspiratis, in quibus hoc Christi nomen recurrit, efficiamus, eandem eius potestatem satis aptam esse, et *denique* eam veteris pariter Instrumenti carminibus, futurum Messiam Dei filium celebrantibus, vindicemus.

Inter classicos Noui Foederis locos, quibus nostra caussa firmari posse videtur, omnium primus ob euidenciam suam commemorandus nobis est ille Paulinus, *Rom. I, 4.* Cum se dixerat Apostolus v. 1. delegatum atque delectum ad nunciandum hominibus *euangelium Dei*, huius euangelii grauitatem summam mox declarat duplici ratione, *petita altera* a vaticiniis, in sanctis antiquiorum temporum scriptis propositis, quibus vates, a Deo acti, cecinerunt, hanc doctrinam aeuo futuro vulgatum inter homines iri, *altera* ab argumento et materia istius doctrinae ipsa, quae sit *περι τῆς ὕψις αὐτῆς*

(scil. Θεῶν) v. 3. Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ κυρίου ἡμῶν, exeunte v. 4. His autem verbis, ut explicet, quo respectu a se Iesus appelletur Dei filius, et quo maxime documento constet, hunc eum esse, interferit ista: τὰ γενομένα ἐκ σπέρματος Δαβὶδ κατὰ σὰρκα, τὰ ὀρισθέντος υἱοῦ Θεοῦ ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἀγίωσυνης, ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν. Cuius παρενθεσεως prima verba, norunt atque concedunt omnes, ne Heilmanno refragante quidem, non praemisisse Apostolum, nisi disjunctionis, seu oppositionis causa, ut altera nempe enunciationis pars, in qua orationis cardo vertitur, luceret clarior. Neque magis dubitationi est subiectum, sensum eorum hunc esse: *Iesum, qua homo sit, ex Davidis prosapia ortum habere*, haec tenus nempe et esse ipsum, et iure cenferi Davidis filium, quo nomine Messiam laudare, inter Iudaeos receptum erat. Itaque si secundum legem disjunctionis, quemadmodum par est, iudicari porro debet, quid significet, quod Iesus et iam ante, et in altera huius enunciationis parentheticae parte *filius Dei* appelletur, sua sponte adeo quisque in hanc eius dictionis mentem feretur: quod ex Deo generatus, diuinitatem cum Patre communem habeat, haud secus atque ex Dauide natus, instar huius homo est. Hanc interpretationem haud parum adiuuant additae formulae: ἐν δυνάμει, κατὰ πνεῦμα ἀγίωσυνης. Harum nimirum alteram oppositam esse τῷ κατὰ σὰρκα in membro priore, et ipsa huius particulae κατὰ repetitio, et frequentissima in sacris τῆς σαρκὸς et τοῦ πνεύματος a se inuicem disiunctio cuique persuadere possint; nos insuper admonendum censemus, cum hac altera formula eam, quae praecedit: ἐν δυνάμει, commode in eandem sententiam explicari, quod si possit, fieri id debere utique in nostro loco, vltro largiturum nobis, speramus, quisquis comparatum sibi ἐπεξηγήσεως et ἐξεργασίας, in Paullinis epistolis regnantis, gustum aliquem in consilium adhibuerit. Agite igitur, videamus, quae et illius, et istius dictionis notio cum secundum contextae orationis seriem se nobis offerat, tum ex consuetudine sermonis defensionem facilem habeat. Urget vero illa, quam diximus, oppositionis lex, ut, prouti primum oppositorum erat: *quatenus homo est*, alterum utrumque denoter: *qua naturam suam excellentiorem, quam aliunde abunde nouimus diuinam ipsam Patris esse*. Nimirum particulam

ἐν,



ἐν, nihil vetat, accipere, vt Hebraeorum et Arabum illud 𐤀, quod  
*essentiae* vulgo Grammatici vocant, quia exprimendae rei naturae et  
 indoli adhibetur, vt hanc praepositionem aequiparare significatio-  
 ne τῷ κατὰ in nostro loco liceat. Vocabulum autem δύναμις, si-  
 quidem respondet Hebraeo 𐤅, quod non robur modo et fortitudi-  
 nem, sed etiam non minus, quam Arabicum 𐤌, primo laudem,  
 deinde gloriam et maiestatem, diuinam imprimis, *Habac.* III, 4.  
*Pf.* LXIII, 3. LXXVIII, 61. denotat, vt συνωνυμον sit τῷ 𐤅𐤅𐤅,  
 hac vltima significatione vsurpatum in N. T. maiestatem diuinam  
 describit, *Matth.* XXVI, 64. *Marc.* XIV, 62. *Luc.* XXII, 69. *Rom.*  
 I, 20., quam eandem eius vim in nostro quoque loco esse, nihil vi-  
 demus, quod impediatur. Ad verbum πνεῦμα quod attinet, posse  
 eo naturam, praestantiorē ea, quae ante nominata erat, expri-  
 mi, videre est ex *Ies.* XXXI, 3., et alio iam loco effecimus, eodem  
 augustiorē Sospitatoris nostri naturam saltem *1 Petr.* III, 18. 19.  
 declarari, quantumuis dubitabile sit, praeter hoc atque nostrum  
 carmen id alibi etiam in N. T. factum esse. De ἀγίασυνῃ orium  
 nobis Heilmannus fecit ipse, in laudato non solum Programmate  
 (Opusc. Tom. II. p. 559.), sed etiam in *Compendio theol. dogmat.*  
 §. 62. Schol. idoneis exemplis docens, eam, vt hebr. 𐤅𐤅𐤅, de eo  
 dici, quod in Deo infinitum est ac venerandum. Itaque habebi-  
 mus πνεῦμα ἀγίασυνῆς praestantiorē Christi naturam, ob infinitam  
 virtutem suam venerabunda adoratione nobis colendam. Quae re-  
 stant verba: τὸ ὀπίθετος ἐξ ἀνάστασως νεκρῶν, per ea, quae adhuc  
 explicuimus, non admittunt aliam interpretationem, quam vt, quo  
 maxime documento Iesus declaratus sit Dei Filius, edicant.  
 Nempe τὸ ὀπίθετος idem dicere, sumimus cum ven. I. B. CARPZO-  
 VIO in *Stricturis* ad h. l., quod ἀποθερευμένος, *Act.* II, 22. et  
 σφραγίσεις, *Ioh.* VI, 27. Reditus autem Iesu a mortuis certum il-  
 lud documentum est, quo ea demonstratio peracta est, vt ἐξ ver-  
 tendum sit *per*. Cuius demonstrationis modum, in promptu est,  
 statuere talem: quod, quemadmodum omnium, quae olim Christus  
 docuerat, Deus summam hominibus fidem, dum eum tertia post  
 mortem die in vitam restitueret, fecit, ita hoc quoque, quod ipse  
 se Dei filium haud raro eminentiore sensu praedicauerit (vid. prio-

ris



ris programmaticis nostri p. 11.), verissime ab eo dictum eodem ostenderit opere. Sic interpretantes, inficias ire non possumus, nos vocabulo *ὀριζειν* significationem, minus alias vsitatam, addere, siquidem illud, animaduertente Heilmanno l. c. p. 557., non tam ad id, quod pridem rebus inerat, ostendendum, quam ad designanda ea, quae iam primum constituuntur, ac, quomodo inde futura sint, ostenduntur, trahi solet, aliter, quam *ἀποδειξαι*, quod vtramque in se significationem coniungat. Sed maximum quamquam momentum huius difficultatis futurum esset, si enarranti scriptorem, pura et accuratiore graecitate vtentem, subnasceretur, ea nos tamen magnopere impedire in Paullino scribendi genere vix poterit, quod contum adeo non esse, concedunt omnes, quin posset diuinus doctor, *ἰδιωτης το λογω, ἀλλ' ε̄ τη γνωσει* (2 Cor. XI, 6.), notionem verbi alterius, veluti *τὸ ἀποδειξαι*, alteri quidem generaliore *demonstrandi* significatione similis, ad hoc alterum ipsum, nempe *τὸ ὀριζειν*, etiam transferre; cuius generis in dicendo vitis nostri quoque homines, qui linguam graemice non satis callent, haud raro obnoxii sunt. Certe reliquum omnem horum comminatum contextum prorsus requirere hanc *τὸ ὀριθεντος* expositionem, et, vt eam sequamur, nos adigere, ex superioribus satis liquet. In ea manere igitur debemus, non obstante hac, quamuis molesta, difficultate, quam deuitare Heilmannus ipse non potuit, nisi tali vniuersae sententiae explicatione admissa, quae in longe difficiliore eum salebras deduceret. Nimirum secundum nostram rationem Paullus vocabulo, ad suum sensum exprimendum reliqua dicendi consuetudine non exquisitissimo, vsus est, secundum Heilmannianam vero res inter se tales comparauit modo disiunctionis, quae disiunctae non sunt, humanam Christi naturam et datam ipsi Messiae dignitatem. Quid? quod vt relinqueret tamen in his commentibus aliquam oppositorum vmbra vir doctissimus, suam eorum interpretationem sic efferendam duxit (p. 560.): *qui naturali nascendi lege ex Dauide ortus, maiore vi et procuratione numinis dei filius designatus est, ex quo ad vitam reuocatus est.* In qua versione vitio deferendum indubie primum hoc est, quod *κατα σαρκα* redditum sit: *naturali nascendi lege.* Reuocare enim ab hac circumlocutione interpretem debuisset cogitatio supernaturalis efficientiae Spiritus

ritus



ritus f., qua conceptus in Maria Iesus, a Dauide ortum nactus est. Deinde num illa, quam in altero membro dicit, *maior vis et procuratio numinis*, ipsius sit *Ἰησὺς Χριστὸς, τὸ κυρίον ἡμῶν* propria, an vero alius personae diuinae, non liquet; exigit vero oppositionis lex, vt *δυναμὴν* istam et *πνεῦμα ἁγιοσύνης* hoc eidem Iesu Paullus tribuerit, cui ante ab eo tributa *σὰρξ* erat. Quae cum ita sint, apparet, non iniuria nos dixisse, eam nostri loci interpretationem, qua *ὁ υἱὸς Θεοῦ* Messiam significare perhibetur, multo maiore difficultate obstrictam esse et impeditam, quam hanc, quae ostensam eo nomine excellentiorem Iesu naturam agnoscit.

Alter, qui nobis patet, reperiundae huius notionis fons capitalis est instituta a Paulo *Hebr. I, 4 - 14.* praestantiae Christi prae angelis declaratio. Formula argumentandi generalior, qua vtitur Apostolus, comm. 4. 5. expressa legitur, eaque, si nostris verbis enuncianda sit, haec est: tantum antecellit Christus angelis, quanto honorificentior est concessa illi filii Dei, quam his conueniens angelorum, appellatio. Quae autem sit ea honorificentissima prioris appellationis vis, iis, quae sequuntur, incisus ita declarat, vt infinitum depressos infra Dei filium angelos ostendat eo, quod illi cultus, Deo debitus, decernatur v. 6. coll. *Pf. XCVII, 8;* quod *Pf. XLV, 6. 7.* in quinto casu Deus ipse vocetur, et imperium tenere aeternum dicatur, v. 8. 9.; quod creator rerum omnium, mutarique nescius sit, v. 10 - 12. coll. *Pf. CII, 26 - 28;* quodque maiestate, Iehouae propria, fulgeat eminentissima, v. 13. coll. *Pf. CX, 1.* Ista autem praedicata omnia cum ad collaudandam summam diuinitatem spectent, recte concludimus, menti f. Pauli, dum scriberet, quae segmentis 4. 5. continentur, notionem nominis filii Dei eam obiectam esse, quae et ipsa hanc summam diuinitatem complecteretur. Neque enim uero nos finistre iudicasse, commati 4to reliquam omnem huius Capitis feriem, tamquam sententiae demonstrandae demonstrationem ipsam subiectam esse, inde patet, quod incisum profecto sum eam habeat cum praecedente copulationem, illud autem uti constat duobus veteris Testamenti locis, ita, quae sequuntur, cetera omnia etiam oraculis earundem tabularum absoluantur; quodque comm. 6to legatur *τὸ πρῶτον* appel-

B

appel-

appellatio, quam, utcumque ceterum aliquis de ea statuat, nemo  
 negabit, nomini  $\tau\theta$   $\upsilon\iota\theta$   $\Theta\epsilon\theta$  v. 5. toto certe genere significationis si-  
 millimam esse. Quibus ita constitutis, iam nos non impiedit,  
 quod reposuit Michaëlis, V. Ill. (in nota, paraphrasi suae huius ca-  
 pitis ad v. 4. addita): si filii Dei vox aeternum ipsum Deum de-  
 signet, tota hac Pauli demonstratione opus non futurum fuisse;  
 quis enim non vltro fateatur, Deum angelis esse praestantiorum?  
 Neutiquam vero secundum nostram interpretandi rationem demon-  
 strat diuinus scriptor, Deum praestare angelis, quod utique sumit,  
 sed docet Hebraeos, nomini filii Dei, si conferatur in Messiam,  
 inesse ipsius diuinae naturae significationem. Quod porro Heil-  
 mannus obmouet, (l. c. p. 538. 536.): qui ab aeterno Dei filius  
 fuerit, neque posse eum ipsum dici hoc nomen  $\kappa\epsilon\kappa\lambda\eta\rho\upsilon\mu\eta\kappa\epsilon\nu\alpha\iota$  v. 4.,  
 tamquam eo ante caruisset, neque Deum de eo  
 recepisse, se illi patrem, illumque sibi filium esse *futurum* aliquan-  
 do v. 5., id propterea non valet, quia et illa dictio, et haec pro-  
 missio Patris commode explicantur in humanam Christi naturam,  
 quae in tempore ad communionem omnium  $\acute{\alpha}\xi\iota\omega\mu\alpha\tau\omega\nu$  diuinorum,  
 quae  $\tau\omega$   $\lambda\omicron\gamma\omega$  quidem ab aeterno inerant, perducta est; quam ra-  
 tionem habet etiam illud v. 2. dictum:  $\acute{\omicron}\nu$   $\acute{\epsilon}\theta\eta\kappa\epsilon$   $\kappa\lambda\eta\rho\nu\omicron\mu\omicron\nu$   $\pi\alpha\nu\tau\omega\nu$ .  
 Sed insistit amplius vir celeberrimus: quando  $\acute{\alpha}\gamma\gamma\epsilon\lambda\omega\nu$  nomen  
 non ab naturae conditione tractum est, sed a destinatione personae, quam  
 gerunt hi genii, neque  $\upsilon\iota\theta$   $\Theta\epsilon\theta$  nomen in hac comparatione nomen  
 naturae erit, sed personae impositae. Infringitur tamen et huius ar-  
 gumenti vis, si ad animum reuocet iustam ex appellatione  $\acute{\alpha}\gamma\gamma\epsilon\lambda\omega\nu$ ,  
 h. e. *ministerorum* conclusionem: quarum naturarum hoc no-  
 men solemne est et ordinarium, necesse esse, eae sint creatae et fini-  
 xae, quia harum proprie tantum est, ministeria obire, cui simile  
 quid ex nomine  $\upsilon\iota\theta$   $\Theta\epsilon\theta$  nemo exsculpsit. Quod autem, Chri-  
 stum et ipsum  $\acute{\alpha}\gamma\gamma\epsilon\lambda\omega\nu$  sacris in literis salutari, non inusitatum sit,  
 id qui cum Heilmanno dixerit ei, quam nos propugnamus, sen-  
 tentiae aduersum esse, videat is, ne, inuito se ipso, haec vitupe-  
 ratio non tam nostram illius comparationis, a Paulo factae, inter-  
 pretationem, quam comparationem eam ipsam, tangat omnino, quae  
 adeo sibi non bene constare iudicanda foret, quocumque demum  
 modo explicandum censeamus hoc  $\upsilon\iota\theta$   $\Theta\epsilon\theta$  nomen. Reliqua est,

cui



cui omnium plurimum tribuit vir doctissimus, haec ratio: insolens et mirabile esse argumentum, quod ad alterutrum ex duabus rebus praestantiam ducatur ex iis nominibus, quae sint ipsi earum rerum naturae tributa; siquidem id genus nomina, v. c. Deus, mundus, virtutes rerum non significant aliter, nisi quatenus earum imagines, aliunde animo ingeneratas, de nouo instaurent, quod longe aliter se habeat in iis nominibus, quae ad rerum singularum munera, destinationem statumque peculiarem declarandum inuenta sint, vt, si, Deum *patrem rerum omnium*, mundum *καλλιστον ποιημα* recte nominari, constet, praeclare concludatur argumentum: tanto Deum praestare mundo, quanto sit hoc nominae illud magnificentius. Nos obseruationis huius partem priorem; si de rerum nominibus simplicibus, qualia sunt illa: deus, mundus; spiritus, corpus; sol terra, accipiat, verissimam esse, sine cunctatione largimur; quid autem ea profici possit ad conuellendam propriam nominis *filiu Dei* notionem, non assequimur. Est enim composita haec, de qua quaerimus, formula, quare, si modo singularum, quae in eam coeunt, verborum potestates ante cognitae sint, ex ipsa horum coniunctione vera vis compositae dictionis mox elucebit, quam hactenus quidem eandem plane rationem habent duo postrema exempla, ab Heilmanno ipso in medium prolata. Vt igitur, si auctorem mundi comparemus cum mundo, naturae illius excellentiam prae natura huius ipsa compositio verborum prioris appellationis manifestam reddit, ita etiam elogium filii Dei, secundum proprias singularum, ex quibus constat, verborum potestates proprie acceptum, satis commodum erit ad declarandum eum, qui hoc nomen fert, longe maiorem angelis, h. e. ministris Dei, qui ipsi illud, cui ministeria praestant, infinitum numen esse nequeunt.

Tertiae nobis demonstrationis materiam praebet eiusdem ad Hebraeos epistolae *περιοχη* cap. III, 3-6., qua *Mose Iesus* tanto ostenditur maior, quanto herus, qui ipse domum aliquam instituit, praecellentior seruo fit, cui ea administranda commissa est, siquidem *Moses* in domo Dei versatus sit tamquam seruus, *Christus* qua filius super suam domum imperium habeat. Vnicuique, horum segmentorum

inter se rationem paulo curatius exploranti, clarum esse non potest non, omnem, quam in iis scriptor sacer Christo prae Mose vindicat, excellentiae vim ab eo colligi quasi accotineri vno *filii* (*Χριστός δε ως υἱός* v. 6.) nomine, quo ipso vt iam docuerat eum prophetis, Cap. I, 1. et angelis, v. 4. sqq., ita, Mose etiam multum quantum antecellere, hic docet. Isto igitur elogio ex mente Apostoli haec, quae seorsim enarrat, praestantiae genera conclusa sunt: 1) Moses ministrum Dei egit, Christus, qua filius Dei, ministro maior est v. 5. 6. Vnde fit, filii voce hic non designari Messiam, cuius sparta talis est secundum Scripturas, qua Iesus domino et capite non caret, Deo, *1 Cor. III, 23. XI, 3.* huiusque igitur ministris et ipse accensendus est, *Ies. XLII, 1.* etsi ex omni ministeriorum genere oppido nobilissima obeat; 2) quantum herus, i. e. Deus, ecclesiae dominus praestat seruo, Mose, v. 3., tantum aequae Christus, qua filius, eodem praestantior est. En tantum non disertam mentionem diuinitatis, titulo filii Dei expressae, quae hoc discrimine declaratur etiam: 3) quod Moses *in ecclesia* tanquam *domo non sua*, versatus sit, Christus vero, qua filius, *super ecclesiam* sit, hancque velut *suam ipsius* domum administret (conf. *Matth. XXI, 38. Gal. III, 1. fin.*): est autem Dei domus ecclesia, *Num. XII, 7.*, ipseque eam summo imperio tenet. Horum argumentorum robur cum Heilmannus nulla in contrarium allata ratione infirmauerit; quantumuis indubium sit, toto hoc loco de administratione diuinae inter homines *οἰκονομίας* per Christum exposuisse Apostolum, impetrari tamen a nobis non potest, vt credamus, quae de domino nostro, qua filio, scripsit, ad folius muneris, ipsi demandati, grauiorem auctoritatem, non naturae etiam virtutem, qua super alios emineat, spectare; immo vero illam ex ista Paullum declaratam dedisse, persuasum sic nobis habemus.

His ex praecipuis testimoniis, adhuc tractatis, quum euieta nobis propria sit nominis filii Dei potestas, quaerendum nunc porro est, an scriptores N. T. quouis etiam alio loco, quo hoc elogium in Christum *θεοπνευστός* conferunt, eam seruent, an vero per vices hanc formulam mox de naturali, quem Theologi vocant, Dei filio, mox antiquiore consuetudine de Messia dixerint? Etsi vero non videamus, quid damni, vel periculi verendum inde fuerit, si quis alterum

alterum optet, nos tamen prius praefendum ducimus propter has  
 coniunctas rationes, quod *et* per se probabile fit, diuinos viros, ex  
 quo a Spiritu s. huius dictionis solemniore augustiore sensum  
 edocti essent, hunc frequentare maluisse, quam illum, quem ob  
 communem sibi cum Iudaeis diuinae Messiae naturae ignorantiam an-  
 tefecuti fuerant, *et* in ipsis locis singulis nihil, quod istum sublimio-  
 rem nominis intellectum ab iis arceat, reperiatur. Atque hanc  
 alteram rationem, qualis sit, vt paullo pressius declarem, possit  
 quidem vnum atque alterum Paulli, vel Iohannis effatum tale videri,  
 quod commodissime ferat notionem priscam, vt, qui hanc nouit,  
 primo eorum locorum adspectu vix dubitauerit, iis eam inesse; sed  
 si vndique circumspiciatur eorum configuratio vniuersa, non male ta-  
 men iis conuenire vel haec, quam volumus, nominis illius vis per-  
 spicitur. Iam animus non est quidem, per singula quaeque huius  
 classis carmina ire, quod et nimis longum foret, et parum utilitatis  
 habiturum esset; sed ea saltem secundum librorum ordinem percen-  
 sere iuuabit, quae paullo impeditiora sunt, et proprii filii Dei notio-  
 nem renuere magis sibi oblatam, quam ipsa nobis offerre videntur,  
 quae tamen ipsa pauca sunt. Itaque *Ioh. XX, 31.* ex more antiquo  
 (vid. Progr. I. p. 7.) coniunctim scribere Apostolus poterat: *Chri-  
 stus, filius Dei*, et tamen hac altera dictione iam aliud quid designa-  
 re, quam praecedente expresserat. Quae *Act. VIII, 37.* leguntur:  
*credo, filium Dei esse Iesum Christum*, non est, quod curemus, cum  
 rationes criticae, a Millio et Wetstenio in medium prolatae, ma-  
 gnam cuique suspicionem facile moueant, integrum hunc versum  
 interpolationi deberi. Cap. IX, 20., vbi narratur Paullus *praedicasse  
 Christum, quod ipse sit filius Dei*, perinde quidem ad nostram,  
 quam agimus, causam est, vtrum seruare in subiecto velit aliquis  
 vulgatam lectionem, *τον Χριστον*, an praefere huic alteram, quae  
 prostat, certe non contemnendam, *Ἰησὺν*, si modo, cui legere pla-  
 cet *τον Χριστον*, hanc appellationem hoc loco non trahat ad descrip-  
 tionem muneris Messiae, sed, proprii nominis vim, vt alibi haud  
 raro etiam, habere, teneat, quod admittere necesse erit, vtunque  
 interpretandum statuamus, quod in praedicatione est, *ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ*. Ipso  
 autem hoc praedicatione, quantumuis certum sit, designari personam ac  
 rationem muneris, quam ad humanum genus Dominus habeat, id  
 quod,

quod, vt alia taceamus argumenta, suadent verba simillima com-  
 matis 22. *συμβιβάζων, ὅτι ἄτος ἐστὶν ὁ Χριστός*, non tamen inde fit,  
 vt per se filius Dei idem sit, quod Messias, sed poterat vna dictio  
 pro altera *μετονομασως* poni, quia Messias est ipse ille proprie di-  
 ctus Dei filius. Cap. XIII, 32. 33. in eo vtiq̄ esse, videmus, Paul-  
 lum, vt confirmet, promissa Dei de futuro Messia, maioribus Iu-  
 daeorum facta, iam expleta esse, dum Iesum ipse nasci et res suas  
 inter homines habere iusserit (sic enim explicandum esse illud *ἀνα-  
 σησας*, omnis reliqua commatis 32. sententia, huiusque ab iis, quae  
 v. 34. sequuntur: *ὅτι δε ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν*, seiunctio, et cre-  
 brior huius verbi, atque similis *ἐγερσεν* eodem significatu vsus, Cap.  
 II, 30. III, 22. XIII, 23. satis docent). Hoc igitur agens Apo-  
 stolus, vt exemplum aliquod excitet illarum promissionum diuina-  
 rum, aduocat Dei vocem *Pf. II, 7. filius meus tu es, hodie te gigno*;  
 non quo filium Dei, genitumque ab eo, interpretetur Messiam, ge-  
 neris humani vindicem, sed, quemadmodum Iudaeis mos est ver-  
 ba alicuius orationis priora allegare, quando res tamen non ex his  
 allegatis, sed ex iis, quae sequuntur, probari debet (obseruante GYL-  
 SVRENVSIO in *Βιβλῳ καταλλαγῆς*, Lib. II. Thef. X.), ipitium ser-  
 monis diuini memorans, respicit ipse et lectores remittit ad infe-  
 quentem eius feriem omnem v. 8. 9., qua Messiae inauguratio clare  
 describitur. Difficultatis plurimum ad nostram notionem filii Dei secum  
 vehere videtur, quod *1 Cor. XV, 28.* legitur de *ipso etiam filio sub-  
 iiciendo*. Sed si dicamus, filii vocabulum Messiam denotare, non  
 minus tamen dure dictum est: Messias ipse subiicietur, pro hoc:  
 ea imperii forma, quam Dominus noster qua Messias tenuit, cessa-  
 bit, mutabiturque in aliam. Quam duritiem loquendi qui non adeo  
 grauem existimant, vt se ea deturbari ab hoc interpretationis gene-  
 re patiantur, hi dederint nobis certe veniam hanc ipsam interpreta-  
 tionem sic sequendi, vt in vocabulo filii eandem *μετονομασας* vni  
 agnoscamus, quam ei subesse in loco *Act. IX.*, ante a nobis tacto,  
 notauimus. Immo vero in *δυσνοητοῖς* adhuc censendum est hoc  
 carmen, quamobrem nostrae de quaestione proposita sententiae saltim  
 non aduersum iudicari debet; si vel ei nouum robur addere haud  
 possit. Neque praetereunda nobis omnino sunt, quae contra ean-  
 dem sententiam aliquid valere etiam possunt, Heilmanno iudice (l. c.

p. 536.), 1 *Theff.* I, 10. *Col.* I, 13. 18., cum illic Paulus *filium Dei ex morte ad vitam reductum* ait, quod aegre ad diuinitatem referri possit, hic Colossenses *in regnum filii Dei, ecclesiae principis, translato* laudat, quod multo ad personae, quam naturae, notionem commodius referatur. Prioris loci difficultas omnis ab eo oritur, si verba: *ὃν ἠγάπησεν ἐκ νεκρῶν* pendere statuamus ab his, quae praecedunt: *ὑἱὸν αὐτοῦ*, et euanesceat ea igitur, si haec commatis pars sic digeratur: *Ἰησοῦν, ὃν ἠγάπησεν ἐκ νεκρῶν*, plane ut digerenda sunt illa *Ioh.* XVII, 3. *καὶ Ἰησοῦν, ὃν ἀπέστειλας, χριστόν*. Posterioris autem interpretatio commodissima erit ex illius, quam bis iam diximus, metonymiae lege, quae quominus ad hunc etiam trahatur locum, nihil, quantum nos videmus, obstat. Denique de *Ioh.* V, 16. qui accuratiora edoceri cupiunt, hos breuitatis studio ablegamus ad ill. *Michaëlis Introduct. in Libros sacros Noui Foederis*, Part. II. edit. 2. p. 1758. fqq., edit. 3. p. 1239.

Supereſt, duorum, vel trium Veteris Testamenti oraculorum, ad hanc causam pertinentium, rationem reddamus; reddemus autem paucis pro eo, quod consilium nostrum postulat. Appellationem filii Dei, Messiae propriam, fluxisse ex *Pſ.* II, 7., in commune concessum est. Istius vero commatis, quo Deus loquens inducitur, cum iis, quae sequuntur, cohaerentia talis est, ut, cum haec generis humani vniuersi imperium Messiae deferendum exprimant, illud, quam dignus ipse tam illustri administranda prouincia sit, edicat. Dignissimus vero, qui filius Dei proprius ac naturalis est, ut igitur huic carmini ea notio conuenientissima sit. Atque cum Messias non vnus naturae, sed *θεοειδωπος* sit, nostro statuemus iure, non solum in *τοῦ Λόγου*, sed etiam in iunctum ei hominem dictum hoc esse: filius meus tu es. Vnde fit, quae deinceps leguntur de *profecenda* ipsi, et *conferenda* in eum omnium rerum potestate, non tam ad filium Dei proprie (s. reduplicatiue) spectare, quam ad hominem Messiam, ob arctissimam, qua teneatur cum aeterna et summa diuinitate, consociationem personalem ad illud tanti regis fastigium euehendum. Ad verba, his explicatis mox subiuncta, *hodie te genui*, vel *gigno*, quod attinet, assentimur plane b. a. t. ZACHARIAE, in *diff. de usu dogmatico nominis filii Dei* §. XV. illud *hodie* sic accipienti, quod a vate poetice ficta sit aliqua solemnis dies, qua foedus cum Messia solemniori modo Deus fanciuerit, qualis fictio etiam est diei, qua de Iobi fatis Deus decreuit, *Iob.* I, 6. II, 1. Istud autem: *gigno te*, ex nostro sensu idem dicit, quod: te a me genitum promulgo atque declaro; solent enim sacri scriptores ea, quae sint, vel fiant, ponere pro iis, quae ita esse, vel facta iam significantur, compluribus exemplis id docente SAL. GLASSIO in *Philol. sacr.* L. III.

L. III. Traff. III. Cap. XV. XVII. edit. Lipf. 743. p. 782. 794. Quibus confitutus, fententia ad omnem orationis continuacionem commodiffima haec elicitur: „te, qua genitum a me, fummae diuinitatis ipfum participem „efle, hoc die iam folemnus ostendo, quo tibi, homini etiam, rerum „omnium imperium demando atque trado.” Nempe hoc diuino *αὐχμηρῶς* impertiri nunquam humanitas Mefliae potuiffet, nifi, cui vnita illa est, *α Λογος* omnia diuina naturae iure fibi propria teneret. Quo autem intellectu hoc verfu accipiuntur filius Dei et genitus a Deo, eodem comate etiam *12. filii* nomen accipiendum efle, quando ad obfequii religionem ei addicendam homines admorentur, per fe abunde lucet. Praeter hunc Pfalmum vnicus adhuc antiqui Codicis locus proftat, quo filii Dei mentio iniecta est, *Prou. XXX, 4. : quodnam est nomen filii eius? hoc nofti?* Agur, cuius hoc capite comprehenfa sunt aurea dicta, Deum hominum mentibus ita *αὐτῶν ἐγεγυνητο* extollit, vt neget, eos peruidere, quo ille modo coelos, ventos, maria regat, terramque firmis fubftructam fundamentis fultineat. Ipfum numen, quantum natura et virtute est, imperium humano ingenio pronuntiat, et aequae iudicat fupra huius aciem pofitum efle, quid fit, quod filium Deus habeat. Vocabulum *nominis*, bis vfurpatum, more hebraei fermonis redundat. Filius igitur Deo tribuitur, cum ipfa eius natura proxime coniunctus, ad hancque non minus intima cognatione pertinens, quam illa infinita potentia, quo ante commemorata quaeque extra fe praefat Deus. Videmus, huic etiam Scripturarum oraculo propriam filii Dei notionem adeo accommodatiffimam efle, vt per contextus rationem de alio quouis iftius appellationis fenfu ne cogitare quidem liceat.

Iam fi in vnam conferamus fummam, quae vtraque commentatione fuper hoc argumento fparfim a nobis difputata fuit, erat natua prima vis auguftiffimi nominis, vt ex Deo genitum Deum designaret; poftquam dedidicerant Iudaei de diuinitate feruatoris promiffi doctrinam, cum ex Pfalmo fecundo tenerent tamen, Mefiam efle, qui ibi filius Dei celebratur, tractum elogium est ad Mefliae, qua fummi inter homines regis, munus et auctoritatem; Chrifto autem viam muniente, et Spiritu f. plenam deinde Apoftolis lucem reddente, priftinam recuperauit potefatem genitum ex Patre Deo ad eiusdem diuinitatis cum ipfo communionem proprium filium denotandi. Habes, CIVES CARISSIMI, propofitam vobis materiam fat grauem veftrisque perfonis digniffimam, in qua meditanda partem fagri otii confumatis, quod, redeunte natali Chriffti die, vobis factum est. Sed vt mentium cogitationes piaae ad animos veftros fancte afficiendo pertingant etiam, omni ftudio ftimul curate. Pfalmi verbis vos hortamur: *ofculamini filium*, h. e. fidem veftram et obfequia constantiffima addicite Domino, eidemque Patrono veftro, de omni felicitatis veftrae genere infinitum quantum meritiffimo. Ad haec in ipfum ftudia, vt in fe dulciffima, fic vobis faluberrima futura, magis vos his diebus excitabunt publici diuinae veritatis interpretes; quibus viciffim, quod veftrum est, grati referre atque alacres.

P. P. Fer. I. Natinit. Chriffti, clo 19 cclxxxvii.

(L. S.)

